

absq; tamen vinculo matrimoniali aut solemnitate nuptiali asci-
scitur: quæ certè omnia non tam verbis, quam suppliciis ve-
niunt refutanda.

XXVIII. Concubinatus quoq; quo loco habendus sit, jam
liquet, in quem tamen Romanenses proniore, quam in Clerico-
rum Conjugium, sunt animo: Hinc Concubinas unam post al-
teram Ecclesiasticos alere & ita cum multis consuesse permit-
tunt. Ad quod tamen palliandum ne adducant Patres V. T.
quorum Concubinae revera erant uxores, licet secundariae Gen.
16, 3. nec allegant Jus Romanorum veterum, quorum Concubi-
nae aut meretrices erant, aut inferiori loco natae, & ita dignita-
te, quæ Matresfamilias illis fecit, destituta, in cæteris tamen
pares Conjugibus: nec demum Jus proferant Canonicum, quod
si Concubinas approbat, illas, consentibus nonnullis, intelligit
uxores, quæ solemniter non fuerunt ductæ, licet mutuis in ma-
trimonium consensus intercesserit. Verbo igitur ut dicam: Con-
cubinatus, quem hodiè permittunt Pontificij, aut scorta-
tio est aut Adulterium, quorum scelerum poenas, vide 1. Co-
rinth. 6, 9. Gal. 5, 19. Eph. 5, 5. Hebr. 13, 4.

XXIX. Porro requisitum est in Matrimonium contractu-
ris, ut vinculo consanguinitatis vel affinitatis, quod matrimo-
nium impediatur, antea non sint devincti. De Consanguinitate
ergò prius dicendum, quæ inter eos est, qui ab uno communi pa-
rente orti, sanguinis necessitudine junguntur & gradibus atq;
lineis discernuntur. Linea autem est Series Graduum, eaq;
vel recta inter Ascendentes & Descendentes, vel Collateralis si-
vet transversa, quæ à stipite ad duo latera aut equaliter aut in-
equaliter se diffundit. Gradus vero est Series generationum,
seu ut alij definiunt, Distantia personarum singulis generati-
bus propagatarum.

30. Gra.